



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

XII. Aedificia laicorum in atrio ecclesiae non ponantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

IX.

ANNO
CHRISTI
1022.

*maxime

Statuit etiam sancta Synodus, vt mala consuetudo, quæ apud omnes pene iam inoleuit, omnino prohibeatur, hoc est, quod colloquia sua in atrio alicuius ecclesiæ constituunt habenda, & tunc ea in ipsa * maxima exercent ecclesia, vbi orationes & diuina tantum fieri æquum est officia.

X.

Quidam etiam laicorum, & maxime matronæ, habent in consuetudine, vt per singulos dies audiant euangelium: *In principio erat Verbum*, & Ioan. 1. Missas peculiare, hoc est de sancta Trinitate, aut de sancto Michael: & ideo sancitum est in eodem Concilio, vt hoc vltius non fiat, nisi suo tempore, & nisi aliquis fidelium audire velit pro reuerentia sanctæ Trinitatis, non pro aliqua diuinatione: & si voluerint vt sibi Missæ cantentur, de eodem die audiant Missas, vel pro salute viuorum, aut pro defunctis.

XI.

Quidam etiam generationem consanguinitatis ita volunt numerare, vt frater & soror sint primi. Hoc autem statuit sancta Synodus, sicut etiam ab antiquis patribus decretum est, vt ita non esset: sed vt nepos & neptis, id est filius fratris, ac filia sororis, primi habeantur.

XII.

Statutum est etiam, vt ædificia laicorum, quæ ecclesiis adiuncta sunt, auferantur: & nulla in atrio ecclesiæ ponantur, nisi tantum presbyterorum.

Concil. Tom. 25.

O o ij